



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno 633. Usque Ad Annum 726

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1760**

**VD18 90117840**

§. 51. Wamba Rex Gothorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66082](#)

Sæculum VII gem pervenit, & ex ejus consilio Dignitas Majoris Domus in Leudesium Erchi-

A.C. 674. noaldi filium collata est. Ex his dispi-

Conc. Fred. cimus, etiam sanctissimæ vitæ Episcopos

n. 99.

jam illa ætate negotia Reipublicæ tra-  
ctasse, &, rebus turbatis, Præfules cum  
armatorum cohortibus, sicut ceteros O-  
ptimates, iter fecisse.

### §. LI.

#### *Wamba Rex Gothorum.*

Hist. Jul. Mores eosdem ac in Francia sub Regi-  
Tolet. Du- bus Gothorum fuisse legimus. Re-  
chesne to. I. ge Recesuinto anno 672. vita functo,  
hist. Fr. p. 811 Wamba invitus ei Successor datur, at-  
que Toleti Oleo Benedicto super caput  
ejus a Quiricio Archiepiscopo effuso  
consecratur. Nunquam antea legi, Re-  
ges unctos fuisse. (\*) Vix dum novo  
Rege inaugurato, in Gallia Narbonensi  
Seditio in eum movetur, cuius capita e-  
rant Ildericus Comes Nemausi, Gumi-  
lus Episcopus Magelonensis, & Abbas,  
nomine Ranimirus seu Ramirus. Ilde-  
ricus cum Aregium Episcopum Nemau-  
sinum in suam factionem pertrahere non  
posset, eundem vinculis onustum misit

ad

(\*) Saltem illam Traditionem non ignora-  
verit Fleurius, secundum quam, cum baptizan-  
dus esset Rex Clodoveus, ampulla Chrisnatis  
columbae ore cœlitus allata est. Brev. I. Octob.

ad Francos, atque in ejus Sedem Rami-Sæculum VII  
rum Abbatem intrusit, cuius vero Electio A. C. 674.  
nec Auctoritate Principis, nec Metropo-  
litæ confirmata. Insuper a duobus so-  
lum, & exteris Episcopis ordinatus est.

Rex Wamba comperta seditione mi-  
sit ad reprimendos Rebelles Paulum Du-  
cem, qui & ipse ab eo defecit; Argeba-  
dum Archiepiscopum Narbonensem se  
objectis claustris a Civitate arcere pa-  
rantem celeritate antevertit, & capta  
urbe assumptoque Regis titulo illius Fa-  
ctionis Princeps extitit. Cum deinde  
ipse Rex Wamba in seditiosos movisset,  
urbes omnes ipsamque Narbonam ite-  
rum in potestatem rededit. Gumildo  
Episcopo animus erat Magellonam ur-  
bem propugnare, sed prævidens, se ter-  
ra marique obsidendum, illa relicta, Ne-  
mausum se recepit cum Paulo, qui ibi-  
dem urbe deinde obsessa & dedita ca-  
ptus est. Nam vires sibi deesse, quibus  
urbem tueretur, intelligens, ad Regem  
Wambam misit Archiepiscopum Narbo-  
nensem, qui oblato prius S. Sacrificio, ut  
erat vestibus Sacerdotalibus indutus in  
conspectum Regis se conferens, prostra-  
to in terram corpore, vitæ gratiam reis  
impetrare conatus est. Movit Regem  
tanti Supplicis Oratio. Omnia vasa sa-  
cra a Paulo in belli sumptus ablata, at-  
que inter alia coronam auream a Rege  
Recca-

Sæculum VII Reccaredo ad ornandum S. Felicis Ge.  
A.C. 675. rundani sepulchrum donatam, quam ve.  
Ibid. p. 831. ro Paulus capiti suo imposuerat, reddi  
 jussit, & Toletum reversus in Rebelles  
 in Conventu totius Nationis secundum  
 Canones & Visigothorum Leges judi-  
 cium ferri voluit. In illa sententia de  
to. 5. Conc. ultimo Canone Concilii Toletani quarti  
p. 1714. mentio facta, & pronunciatum, Rebel-  
Sup. Lib. les esse morte dignos; si tamen Rex par-  
XXXVII. cere vellet, id ea solum conditione fie-  
§. 49. ri oportere, ut singulis oculi erueren-  
 tur.

### §. LII.

#### *Concilium Toletanum XI.*

to. 6. Conc. Victoria de seditionis reportata Rex  
p. 539. Wamba in exornanda Civitate To-  
 letana, Metropoli sua, totus fuit, po-  
 suitque in portis Sanctorum Virorum  
 statuas arte singulari elaboratas, additis  
 inscriptionibus, quibus Cives eorum Tu-  
 telæ committebat. Regis ejusdem jussu  
 Concilium Provinciæ Hispanicæ Car-  
 thaginiensis, quod inter Toletana unde-  
 cimum numeratur, celebratum. Con-  
 venere Patres in Ecclesia S. Virginis septi-  
 mo die Nov. anno quarto Regni ejus,  
 IESU Christi 675. & in primis quereban-  
 tur, rarissime Concilia celebrari; Con-  
 cilium enim Toletanum decimum anno  
 656. fuerat congregatum, atque annis  
 octode-